

L. xx. v. l. g. xvii.

40

DISPUTATIO JURIDICA.  
De  
**ARRĒSTO**  
GENERALI.

Diss. jur. civ.

*Quam*

D. O. M. A.

*In Illustri Saxonum VVittebergâ, cum consensu &  
approbatione Amplissima ejusdem facul-  
tatis Juridica,*

Sub Præsidio Clarissimi & Consul-  
tissimi Viri,

**DN. BALTHASARI HENCKELII**

Jutreb. Saxon. J. U. D.

*Publico Examini proponit.*

**FLORIANUS COFFNACIUS**

Grudent. Prutenus.

*XII. Calend. Maij. In Auditorio Jctorum.*

WITTEBERGÆ.

Ex Officina Johannis Richteri.


Diss. jur. civ.

58,16


M. DC. XVI.

2-









# DE ARRESTIS.

## *Thesis Prima.*

**P**ropriâ auctoritate & olim Dominum suæ rei possessionem invito etiam debitore, occupare potuisse, Justinianus innuere videtur in §. ita tamen, Instit. de vi bonorum raptorum. Et hodiè idem licere tradit Giphani. *ad l. si quis in tantam, 7. C. unde vi*; nunquam se in Germania vidisse asserens, ut propter rem suam vi occupatam à possessore, dominium quispiam amiserit, aut alias pœnas inciderit.

2. Cui, de novâ hac consuetudine, assertioni, cum ad stipuletur etiam Covarrav. *lib. 3. resolut. c. 16. num. 7.* Durandus in *Specul. tit. de restit. spoli. at. §. final. & alij*; videmus longe difficiliorem executionis speciem contra juris rationem induci potuisse, quam est Arrestum; cum illa juri Cæsareo simpliciter repugnet, hoc vero id juris habeat, ut regulariter non nisi cum Judicis auctoritate sit legitimum.

3. Ac proinde laxa illa significatio hujus vocabuli stare non potest, quam affert Gylmann. *Supplicationum Cam. Imper. cum vot. P. 1. t. 5. in premiss. n. 24.* quasi Arrestum significet quodlibet impedimentum, quo quis impediatur, ne rebus suis liberè uti possit; ita, ut non sit aliud, quàm versperren / thätlich aufhalten / quibus etiam spolia & retentiones comprahendantur. Sed potius, ut in strictiore sensu notet justam detentionem, impedimentum, interdictum, ne res aut persona, loco vel statu suo moveatur. Dn. Præceptor Reusner. *in prælection. de Arresto cap. 1.* Vulgariter, in Verbot legen / anhalten / zuschlagen / die Güter oder Personen befürmern / und verbieten lassen. Gail. *de arrest. imper. c. 1. n. 1. & 2.*

A 2

4. Quod



4. Quod juris moribus Germanorum idèd receptum est, ut arrestatus tædio arrestationis affectus, coram Judice loci compareat, pactis, debitisque satisfaciat, vel ad relaxandum Arrestum in dubio cautionem judicio fisci præstet. Gail. *d. loc. n. 1.* Virgil. Pingi Z. *in questio. Saxon. qu. 58. n. 18.* Peckius de Jure sistendi *c. 45. n. 15.*

5. Idque tam validè, ut qui aliàs speciali & accedendi & recedendi securitate gaudebant studiosi, communi hujus consuetudinis vinculo novissimè teneantur. Nam licet ignominiam arrestum habeat irretractabilem, *Berl. ch. Conclus. pract. ab. P. 1. qu. 50. n. 47.* & studiosus animum facultatemque solvendi in futurum habeat, discessurus tamen ex Academia plerumque eò usque arrestatur, donec ad minimum aliquo Chirographo de futura solutione caveat. *De Præceptor. Reusner. dic. loc. vid. Pingiz. d. loc. n. 16.* Dissentit Peck. *cap. 5. n. 1.* ubi ex Rebuffo refert, *Tholose quosdam fuisse ad laqueum damnatos, quod studiosorum recentium libros arrestaverant.*

6. Unde apparet, esse quidem convenientiam quandam inter Arrestum & præceptum de non alienando; item sequestrationem & missionem in bona; pignorationes & reprællalias; sed non tantam, ut unum per omnia alteri simile inveniat, maximè si ipsa arresti vulgaris descriptio inspiciatur; quando dicitur remedium executivum, per quod vel debitor vel ipsius bona, seorsim vel conjunctim, auctoritate legitima ita detineantur, ut creditore invito ex loco illo, priusquam interveniat satisfactio, auferri non debeant.

7. Specialiter autem, quomodo ab Arresto Saxonico differat, exinde manifestum fit, quod hoc bona debitoris, taciti pignoris nexu afficiat, cujus beneficio arrestans omnibus creditoribus Chirographariis & personaliter privilegiatis etiam prioribus & creditoribus posterius arrestum impetrantibus, vel postea sub hypotheca tacitâ vel expressâ contrahentibus præferatur. *C. ler. de process. execut. v. part. 1. c. 2. n. 188. usq. ad 207. Berl. ch. dict. concl. 50. num. 6.* quod notabile exemplum taciti pignoris vocat *Paul. Matth. Wechner. Observat. pract. in verb. Arrest.*



8. In presenti circa id, quod juris est communis & in sequen-  
tibus potissimum capitibus versabimur; quis arrestare possit;  
quidnam arresto sit obnoxium; quomodo sit instituendum;  
quem habeat effectum, quâ ratione resolvatur & violatum pu-  
niatur.

9. Arrestare potest creditor quilibet, cui quid ex quacun-  
que causa legitima debetur. *Johan. Monach. in process. part. 20. c. 41. n. 12.* Cum in hujus gratiam arrestum sit introductum. Sive per  
se, sive per procuratorem id faciat speciali mandato instructum.  
Et ratio, quod in causis executivis speciale mandatum requira-  
tur, tam generalis est, ut procuratorem etiam cum libera vel u-  
niversorum bonorum à potestate arrestandi excludat. *Bruno. d. Sole. in loc. commun. b. verb. mandatum en m. Diss. Peck. d. l. co. cap. 3. num. 4. vide Donell. 4. Comment. 15. Giphani. lectur. Alcorp. ad l. 72 ff. de procurat. n. 11 & seqq. Lycklam 6 men. b. Ecclog. 4.*

10. Quinimò & creditor in diem incertum vel sub condi-  
tione; dum nonnunquam ex justa causa ad cautionem interpo-  
nendam agit, *Zasius in l. pecuniam, num. 28 ff. si certum petatur. G. L. ken de prescript. on. part. 3. c. 13. num. 47.* ex eadem de Arresto solli-  
citare poterit. *Coler. d. loc. part. 2. c. 3. num. 109. & seqq. Hering. d. si-  
de jussu. c. 5. n. 45. & seqq.* quemadmodum in Scabinatu Lipsiaco  
responsum de conditionali debitore referi *Moller. 2. S. mest. 23. num. 2.*

11. Et quod dicitur, conjunctam creditori personam sine  
speciali mandato arrestare posse; quia scilicet pro eodem etiam a-  
ctionem sine mandato (nimirum expresso, *l. 40. §. fin. ff. d. Pro-  
curat.* quia sufficit, quod pro se juris habeat præsumtionem il-  
lam, quod nemini melius & tutius actio mandari, quam conjun-  
ctæ personæ possit, *Anton. Faber in ration. ad l. 3. in pr. ff. e. d.*  
quandoque instituit. *l. exigendi. eodem. l. 8. ff. de negotiis gestis;*  
modo de rato caveat; *d. l. 35. æquè in creditore conditionali. Pro-  
cedit. Dn. Præceptor Reufner. d. loc. c. 4. v. d. Menck. de arb. d. qu. ca. 146.*

12. Atque hoc ita ampliatur, ut ad arrestationis beneficium  
non minus admittatur forensis & extraneus, quam civis & loci  
subditus; cum statutum vel consuetudo indefinite concepta et-



iam extraneo profit, nisi id specialiter sit prohibitum, *arg. l. 1. C. de Emancip. lib. facit l. fin. ff. de test. milit. Coler. d. loco p. 1. c. 3. n. 188.* cui adstipulatur quotidiana praxis, *Dn. Reufner. d. loco.* ubi habet rationes dubitandi probabiles.

13. Restrigitur verò hæc arrestandi potestas in liberis; Et enim dum nullum actum adversus parentes exercere possunt, per quem horum lædatur existimatio. *l. 11 ff. de dolo l. 4. §. 16. ff. de dol. mali excep.* nec arrestare possunt, cum præterquam, quod arrestum contineat gravamen perpetuum, *Gylman. loc. cit. qu. 4. n. 21.* jam supra dictum sit, illud sine injuria vel ignominia desiderari non posse, *Vid. Novel 115. c. 3. §. si quemlibet. Berlich. d. Conclus. 50. num. 9.*

14. Eadem restrictio militat etiam in Vasallis: qui cum dominum ex injusta causa, sive ex delicto sive ex debito, carceratum teneantur liberare, *cap. un. c. §. 2. vers. item si delator. qua fuit prim. caus. benef. amitten.* ibidemq; *SchenckBaro*; multò magis ipsi sub pœna privationis feudi prohibentur dominum ob æs alienum arrestare, *V. d. Berlich. d. loc. n. 15.*

15. Ut ad bona huic passioni obnoxia descendamus: omnia regulariter arrestari possunt, tam mobilia, quàm immobilia juxta quotidianam experientiam, *teste Coler. part. 3. c. 11. n. 58.* etiam eo casu, quando debitor ratione loci, in quo bona arrestantur sit extraneus; quia eo ipso fundata est jurisdictio judicis, quod res, in quas executio petitur, extent in ejus territorio, *Gail. 1. Observat. 56. n. 4.* Cujusmodi debitorem Saxo ideò vocat *dingpflichtig*; hoc est, qui ut maximè non habet alicubi suum domicilium, tamen ex quo solutionem eò destinavit, saltem ratione rerum in territorio citantis sitarum, ad evitandam in iis executionem etiam pro personalibus actionibus ibidem comparere, & defensiones suas facere cogatur. *per text. Landrecht lib. 3. art. 61. ibi. Gerichte sollen warten alle Dingpflichtige. Diss. Coler. quoad punctum juris. part. 2. c. 3. n. 9. & seqq.*

16. Quin & bona debitoris secundi arrestari possunt, dum petit creditor à judice, ut debitoribus debitoris sui denunciari faciat, ne solvant id, in quo obligati sunt suo creditori immediato,



diato, sine ulteriori permisso jus dicentis: hæc enim ipsa inhibi-  
tio loco arresti est, *Guid. Pap. decis. 146. n. 3. Hering. de fidejuss. c. 19.*  
*n. 60. Rutger Rul. d. Commissar. parte 4. L. 4. c. 6. nu. 56.* ubi ita in  
Camera 2. April. Anno 1590. judicatum refert: quod benè no-  
randum dicit *Dn. Præceptor Reusner.* cum hac practica arrestan-  
di in usu quotidiano nihil sit frequentius. *Vide Giphart. ad l. u. C.*  
*depositi.*

17. Quo pertinet, quod bona etiam debitoris accessorii ut  
fidejussoris, ex causa arrestari possint; item, quod non intersit,  
an bona sint simpliciter debitoris, an verò cum alio communia,  
*arg. l. si quis putans, 6. §. si fundus, & §. seq. ff. Communi dividundo.*  
*l. si consensit, 7. in fin ff. quibus modis pig. vel hypoth.* quo tamen casu  
arrestum pro parte debitoris saltem rem in effectu afficit, qui so-  
cio de damno in ejus parte accepto, communi dividundo judi-  
cio tenetur, *l. 3. in pr. l. si is cum quo, ff. communi divid. vid. etiam Pe-*  
*ckium c. 16. n. fin.*

18. Bona defuncti, ut arresto subiiciantur, fortior militat  
ratio: Tum quod & hæreditas & hæredis nomina propter actio-  
nes hæreditarias potissimum sint comparata, *Anton. Faber er-*  
*ror, pragmat. decad. 50. Erro. 5.* tum quod ob fiduciam æris reci-  
piendi, vel ob invidiam violenti hujus remedii, vel ob auctorida-  
tem debitoris vivo hoc plerunque connivere soleant, *V. d. omni-*  
*nò Dominum Præceptor. d. loc. c. 5.*

19. Quibus proxima est insignis quæstio; an hæreditas ja-  
cens, sive, quæ nondum est adita, arrestari possit? Negantium in-  
ter alia & hoc argumentum est; ubi neque sunt bona debitoris,  
neque debitor ipse, non potest fieri arrestatio. At jacente hære-  
ditate bona non adsunt, quia quod nullius est, ut est hæreditas  
jacens, *l. 1 ff. d. R. D & l. 3. ff. de peculio,* non potest dici ex alicujus  
bonis. *E. Berlich. d. conclus. 50. num. 59. Zobel. part. 2. different. 55.*  
*num. 2. & 6.* Nec adest debitor, utpote, qui eo ipso, quod vivus esse  
desiit, hæreditatem post se reliquit.

20. Verum concludit hoc argumentum tantum de veri-  
tate; & fictionem prorsus excludit. Cum tamen hæc ipsa fi-  
ctio, nomen hæreditatis defunctum repræsentantis induxe-  
rit; ne alioquin res hæreditariæ fierent jure gentium primi  
occu-

occu-



occupantis, & ut dominium defuncti posset continuari in hæredem. *arg. l. 80. ff. de leg. 2. cum similib. Anton. Faber passim.*

21. Etsi tam ponderosa illa dissentientium esset ratio, sequeretur illud etiam, quod ne quidem post diem trigesimum, si jure Sax. non interea audeatur, vel post diem nonum jure civili, arrestum illud commune fieri possit; cum post illa etiam tempora, quoad veritatem hæreditas sit in nullius bonis: quod tamen non facile quispiam illorum admiserit. Pro nostra sententia est, *Joban. Monach. process. part. 20. c. 5. nu. 14. ubi quotidie ita practicari testatur, Moller. ad Constit. Sax. part. 1. Const. 29. n. 14 in fin.*

22. Si Dominus Civitatis expressè & specialiter suorum subditorum bona in casum non factæ solutionis, sine eorum consensu obligavit, tunc pro debito Domini subditorum bona arrestari non possunt, quia alia sunt bona horum & alia sunt bona illius, *l. sicut 6. §. 1. ff. quod cujusq; universitat. nom.* At nemo bona aliena oppignorare potest. *l. rem alienam 41. ff. de pignor. action.* Vult. *discept. Scholast. c. 17. Vid. l. nullam possession. 4. C. de Executor. & Exact. Dissen. Coler part. 2. c. 3. n. 375. Simonis Pistoris post Consilia Modestini. Conf. 13.*

23. Quo facit, quod in illis etiam casibus, in quibus arresta permittuntur, nihilominus odium eorundem generale remaneat, & proinde strictissimè accipiantur. Ex qua ratione à Scabinis Lipsens. conclusum, arrestum tantum habere vim suam in bonis, tēpore arresti impetrati existentibus, ita ut ad bona futura trahi non debeat. *Modestini. Pistor part. 4. qu. 136 n. 7. ubi habet rationes dubitandi; Secundum strictam juris rationem quisquis futura obligat bona, is utique pignori dat rem, quæ eo tempore sit aliena. Anton. Faber. 20. Conject. 17. & ad eundem Schiford. lib. 3. Tract. 12. qu. 1. Anonim. auctor in tract. de Arresto dissentit c. 12. pag. 129.*

24. Unde ulterius inferre licet, in debito minimo non habere locum arrestationem: quia nimirum, quod odiosum est & extraordinarium ex minima causa concedi non debet. *l. si quis affirmavit, 9. §. fin. & seq. ff. de dolo. Joban. Köppen decis. 29. num. 23.* Cumq; magnum & minimum variēt, pro varijs personarum circumstantiis, tutius est arbitrio judicis relinqui, quæ sit causa minima,

nima,



nima, quam per duos aureos illam definire. *Peck. c. 5. nu. 14. Diff. Menoch. lib. 2. cas. 145. n. 2. & seq.*

25. Excipiuntur ab arresto bona Ecclesiarum. *c. rerum. n. 2. Extra de foro compet. & ibidem Coler. bona dotalia; & hæc adeò, ut neque jus utendi fruendi stante matrimonio marito competens in arrestum veniat, quia uxoris interesse non tantum in proprietate, sed etiam in eo vertitur, quod ex usufructu bonorum dotalium pendeat ipsius & communium liberorum exhibitio, l. pro oneribus. C. de Jure dotium. Dn. Præceptor Reufner. d. c. 5.*

26. Similiter vim arresti effugiunt bona feudalia ratione fructuum, quos inde percipit Vasallus; ita, ut quamdiu alia adsint bona, ex quibus creditori satisfieri possit, illa non afficiantur, & proinde non nisi in subsidium teneantur. *Curt. de feudis. part. 4. n. 94. Hartm. Pistor. lib. 1. qu. 15. num. 1. Anon. d. arrest. loco dic. p. 128.*

27. Quæ subsidii potestas tanti momenti est, ut aliàs omnia ferè ab alienationis periculo privilegiata, & in subsidium alienari, & facilius etiam arrestari possint; ut salaria Doctorum. *l. commodis 40. ff. de Re judicata; instrumenta agricolarum, arma militum &c. Imò fieri videmus nulla excussione præcedente hodiè ubique locorum libros & alias res studiosorum pro mercede habitationis, alimentis & aliis debitis arrestari. Virgil. Pingiz. qu. Saxon. 88. n. 23.*

28. An ad alimenta usque & ad ea, quæ honestam sustentationem poscunt, extendatur arrestum; exinde dubitaveris, quod Wesenb. *Consil. 50. n. 20.* testetur: Comites, Barones, aliosque in nobilitate constitutos non compelli ad solutionem solidam, sed habere deductionis beneficium, ne egeant, istudque communi observantia horum locorum & provinciarum usitatum esse. Sed contra Coler. *part. 2. c. 3. nu. 131.* affirmat multis contra viros nobiles se executionibus interfuisse, nullibi verò hanc deductionem observatam vidisse; eo uno excepto, quod in amicabilibus compositionibus interdum actum viderit, ne ita strictè & in solidum exigent, sed nobilitatis, agnationis & sanguinis, ut qui de una familia prognati essent, item senii rationem haberent;

B

rent;



cent; & hoc nonnunquam ex speciali gratia atq; affectione apud tractabiles & non morosos creditores obtentum fuisse.

29. A rebus ad personas, ut descendamus; est & hoc in mera consuetudine positum, personam pro debito arrestari posse, per *l. ob es alienum* 12. *C. de Obligat. & Action.* si in certo loco solutionem promisit, vel ubi contraxit, solvere resuset. *Peck. cap. 4. n. 1. & seqq.* Ratio consuetudinis est generalis; ad vitandum sumptus & expensas, quæ fieri possent ad prosequendum debitorem alibi commorantem. *arg. l. mediterranea. C. de Annon. & tributis. idem Peck. cap. 2. num. 6.*

30. Quæ ratio, cum in quovis debitore locum habeat, quilibet in loco, ubi contraxit, vel solutionem facere promisit, arrestari poterit, nisi specialem exceptionis rationem habeat, ut Legatus, per *l. consensisse* 2. §. 3. & *l. 8. ff. de judic. Clericus. c. si diligent. 12. c. significasti. 18. sup. de foro compet. Diff. Chassan. in consuet. Burg. rubr. 5. tit. differentes, §. 2. num. 15.* quorum in numero non est studiosus. *Diff. Peck c. 5. num. 1. & seq. vel mulier, Diff. Coler. part. 2. cap. 3. num. 199. Vid. Berlich. Conclus. practib. part. 1. quest. 51. per tot.*

31. Illud cum jure communi cautum reperiatur, ne tempore nundinarum propter debitum ante nundinas contractum quis conveniri possit, *l. unic. C. de Nundin. & mercat. ibidemq; in System. Sebastian. Nevius,* in eam trahendum est consequentiam, aliquem tempore nundinarum nec arrestari posse, *Peck. de jure sistend. c. 10.* modo per nundinas intelligas, non quæ in oppidis singulis septimanis semel vel bis habentur, sed notabiles illas & solemnes Calendariis plerunque inscriptas. *Thessaur. decis. 264.* Rationem illius limitationis vide apud *Dn. Reufner. c. 6.*

32. Licet vero dicendum videbatur nundinarum tempore, ne quidem illis locis permittendum esse arrestum, per quos mercaturi ad nundinas transeunt, propterea, quod nec legati in illis locis conveniri possint; diversitas tamen in eo est, quod Legatorum privilegium sit personale, *l. 2. §. 3. & duob. seqq. l. 25. ff. de judicis;* mercatorum autem & aliorum, ratione nundinarum est locale, ad alium locum non extendendum. *Diff. Peckius. cap. 10. num. 4.*



33. Debitorem fugitivum, ne quidem hoc privilegium nundinarum defendit, cum per fugam tali beneficio seipsum reddat indignum, *l. ait prator, 10. §. si debitorem, 16. ff. que in fraud. credit.* Pocer. d. regal. cap. 2. num. 240. Diss. Moller. ad Constit. Elector. par. 1. Constit. 30. num. 6. multo que magis, quam si specialiter eidem renunciaissent. *Vid. idem Moll. d. loc. num. 7.*

34. Quid si in Ecclesiam se recipiat? Propter religionis prerogativam ab impedimento personæ abstinendum est. *Elbert. Leonin. lib. 1. Emend. cap. 20. nu. 2. vid. Covarr. lib. 2. variar. resolut. c. 20. nu. 14. Diss. Jason. ad l. vinum. ff. de rebus credit. cujus argumentis respondet Gomez ad §. superest. Inst. de Action. An in domo vel ejus atrio fieri possit hæc arrestatio, Vid. Peck. cap. 6. num. 6. G. Garf. Mastrill. decis. 22.*

35. Notabilis huc spectat casus, quo per alienam provinciam iter faciens, extra locum etiam contractus vel promissæ solutionis, petente tertio à loci magistratu arrestari potest, *Reichs Abschied zu Speyer de anno 1600. §. Wenn sich begebe. pag. mibi 761.* ita, ut tum demum constitutio de arrestis locum habeat & mandata sine clausula decernantur, si actor cautionem acceptare noluit, *dicto §. Wenn sich. Becht. de securitat. §. salvo conduct. bes. 85.*

36. Rebus personisque in considerationem breviter deductis, quomodo arrestum fiat, videndum est. Id per ea, quæ in præcedentibus sparsim dicta sunt, taliter fieri consuevit, ut creditor per nudam arresti impetrandi causam Judici significet, habere debitorem Titium, qui de præsentis vel futuro solutionis exitu moram aut suspensionem contraxerit; ideò se rogare, ut arrestum bona debitoris eòusque adipiscatur, quousque sibi satisfiat. *Vid. Berlich. d. Conclus. 50. num. 64.*

37. Ex quibus sequentia notantur. Primum, quod Judex, & quidem competens eà de re, id est, cui immediate bona subjecta sunt, *Reichs Abschied Spiræ de Anno 1570. §. Wenn auch die Arresta*, nisi aditus fuerit, non possit proprio potu ad detentionem vel manus injectionem pro commodo privati properare. *l. 4. §. hoc autem. ibi. si postulat. ff. de damno*



*damno infecto*; tum quia de jure creditoris, quod ex facto oritur, l. 52. §. 2. ff. ad L. Aquilianam, judici nihil constat; tum quia si vel maximè jus dicenti constaret de jure actoris ex inspectione instrumenti, tamen incertus adhuc est, an petitor ordinariâ viâ suum debitum prosequi, an verò summariam executionem urge-  
re velit, *Coler. lib. 4. c. 4. num. 3. & 4.*

38. Multo minus propriâ autoritate creditor debitori, vel bonis hujus manum iniicere poterit, nisi per speciem quandam retentionis: quomodo ex notissima Germaniæ consuetudine caupones hospitem apud sese divertentium res mobiles & sese moventes retinent, usque ad satisfactionem pro habitatione & alimentis: *Pingiz. d. qu. 58. nu. 22.* quomodo etiam damnificatus per pecora alterius, cum jure communi actionis viâ experiri debebat, jure arresti vel pignorationis ab executione si velit, potest facere initium, *Kopp. decis. 41. num. 11.*

39. Deinde & illud ex prædictis elicitur non requiri ex parte creditoris, ut is judicem pro tribunali sedentem adeat; cum sufficiat, si eum domi suæ vel in via publica, vel in alio loco pro arresto sibi decernendo compellat, propter periculum quod hoc in casu subesse præsumitur, *Vide Moller. 3. Semest. c. 44.* cui affine est, necessarium non esse, ut arrestum petatur die feriato: cum omnes actus, in quibus periculum in mora versatur, possint diebus feriatis, & non juridicis expediri, *c. significaverunt. 21. §. verum pars sup. de Judicijs.*

40. Quæ ipsa periculi ratio fecit, ut cum ad decernendum arresti nexum, ad minimum requiratur probari debitum vel per exhibitionem obligationis vel instrumenti, vel per productionem testium, qui contractui vel numerationi interfuerunt, *Gail. lib. 2. Observat. 44. Gæden Consil. 106. per totum*, ut & debitorem multo ære alieno esse obstrictum & labi facultatibus, *Peck. c. 16. n. 4. Schult. in addit. ad loc. commun. Brunov. à Sol.* tamen hodiè ejusmodi requisita tam exactè, præsertim in forensibus & extraneis non observentur, sed iudex præmissâ cautione indemnita-  
tis simpliciter ad petitionem & instantiam creditoris arrestum decernat non attento, an reus sit suspectus; ære alieno gravatus vel non. *Gail. d. loc. Coler. par. 1. c. 2. num. 207.*

41. Idque



41. Idque cum ubivis locorum observetur, in terminis tantum juris illa consistit quæstio; an si creditor instrumentis, testibus & aliis legitimis probationibus destituatur, & periculum in mora sit, sufficiat à creditore juramento confirmari, & debitorem multo à re alieno obrutum facultatibus labi & fieri non solvendo; ut vult *Moller. ad dic. Constit. 29. num. II.* quia idem sit, quo ad hoc judicium debiti liquidi & de proximo liquidandi, sive summa certæ & de proximo certiorandæ. *H. ring. de fidejuss. c. 10. num. 71.* Nos cum *Peckio. cap. 16. num. 4. & Menoch. lib. 2. de arbit. jud. quest. c. 87. n. 7. & seqq.* id judicis discretioni relinquimus.

42. Potius ita inferri potest; moribus nudæ assertioni (licet per imperitos & ignorantes Judices id primitus introductum existimet *Berlichius*) creditoris in communicando hoc remedio statur. Et id fieri potest etiam debitore non citato. Maximè cum illo casu, quando à captura personæ incipiendum est, debitor facile per fugam elabi possit, si præviâ citatione vocandus esset. *Peck. cap. 4. num. 5.* nec enim sublatâ citatione tollitur defensio, sed defensionis modus; pulchrè *Quintil. Mandos. de inhibition. qu. 71. num. 10.*

43. Sic itaq; absente debitore factâ arrestatione, subsequitur judicis per apparitorem denunciatio. Et hic servitor ante omnia debet docere de mandato, ostendendo Judicis literas vel commissionem in scriptis, *l. prohibitum. 5. C. de jure fisci. arg. l. final. C. de bon. vacant. Marant. de ord. judic. part. 6. t. de citationibus, n. 78.* cum arrestatio sit realis quædam citatio, quam nuncius publicus ad requisitionem solius partis, absque judicis decreto expedire non possit. *Faber in §. quadrupli, num. 7. Inst. d. act. Coler. cap. 1. part. 2. num. 4.* Ex quibus pulchram illationem vide apud *Dn. Reusner. d. loc. c. 6.*

44. Imò, quo jure apparitori hæc concedetur licentia, cum judici ipsi incumbat, ne ob arrestum concessum aliquod incommodum incurrat, cautionem à creditore exigere, de servando indemne tribunal judicis & refundendo expensas cum omni interesse in casum succumbentiæ; *Coler. part. 2. cap. 3. n. 39. & part. 1. cap. 2. n. 116.* quam cautionem etiam creditor, si velit sibi decerni



arrestum, necessario praestare teneatur. *Rutg. Ruland de commiss. part. 4. lib. 4. cap. 6.*

45. Ad effectum arrestationis priusquam accedamus, hoc praecedentium corollarium adiiciamus, an injuriarum teneatur, qui vel personam vel bona alicujus nullo jure, dum ex post facto in causa succubuit, arrestavit? *Affirmat id Peck. cap. 18. & Gæden. Conf. 38. num. 6.* Ex eo fundamento, quod injuriarum teneatur is, qui non debitorem, quasi debitorem appellavit, *l. 15. §. si quis bona. ff. de injur.* Verum etsi ex eventu temeraria arrestatio conspiciatur, dum id quod intendit actor probare non potuit, atque ideo in expensas fortè condemnandus veniat; tamen inde non efficitur, eum quoque de injuria teneri; siquidem hæc non ex temeritate, sed ex calumnia sive animo injuriandi æstimatur. *Modest. Pistor. part. 1. qu. 35. & ibid. in addit. Schult.*

46. Ipsum effectum quod attinet, hoc executivo remedio fit, ut creditor cito citius, quod sua interest, consequatur, si debitum sit liquidum; Sic tamen, ut tempus judicati à lege debitori miserationis gratiâ tributum in ejus præjudicium coarctari non possit. *Vid. Coler. part. 3. cap. 6. num. 9 & cap. 8. nu. 24. Schult. in addit. ad Modest. Pistor. dic loc.* Quod si debitum sit illiquidum, hoc operatur, ut ex debito illiquido liquidabile faciat, insuperque, si necessarium sit, cautionem de judicio sisti inducat; per ea, quæ passim ad hanc rem superius adduximus.

47. Non ergo arrestum inducit vitium litigiosi; *Vid. Coler. part. 2. cap. 3. num. 442. Covarr. in pract. quest. cap. 15. num. 6. & 7.* multò minus inducit hypothecam, vel pignus prætorium aut judiciale. *Vid. Anton. Fabrum. error. prag. decad. 56. Error. 8.* Et proinde si alienetur arrestata res, non competit creditori actio vel persecutio quasi hypothecaria adversus possessorem illius. *Dissent. Peck. cap. 35. num. 4. Et auctor Anon. in d. tract. de Arrest. cap. 11. num. 125. nisi hunc de Arresto Saxonico accipias.*

48. At inquis, vis arresti conjuncta est cum tacita ad minimum prohibitionem alienationis? Non negaverim. Sed non sequitur; E. jus pacti vel statuti executivi transit in singularem successorem vel tertium possessorem rei. *Menoch. d. adipis. poss. rem. med. 5.*



med. 5. num. III. & seqq. per l. cum precibus. 4. ibi; contra auctorem nullam te habere actionem prospicis, C. de rerum permut. Vid. de precepto de non alienando, Coler. part. 3. cap. II. num. 10.

49. Utique conventio sive Judicialis sive extrajudicialis parit tantum actionem in personam; cum contineat nil nisi factum & jus, ut ita dicam, personale, quod rem ipsam per se afficere nequit, Giphon. ad l. 3. C. de Condict. sine causa. Anton. Faber. in ration. ad l. penult. ff. de pactis; adeo, ut licet fraudulenter in alienandis bonis arrestatis egerit debitor, ne pratorium quidem illud beneficium, quod est in §. item si quis in fraudem. Inst. de Act. creditori ex vi arresti competere possit. Vid. Heig. ad dic. §. Diss. Neguz. de pig. 4. part. princ. num. 20. vers. tertio restringitur. pag. mibi 282.

50. Dubiū minoris est, an ex hoc arresto communi oriatur jus prioritatis. Nam cum nec jure Saxonico cautum sit, quomodo speciale horum locorum arrestum prioritatem inducat, sed simplici consuetudine provinciali nitatur, Das der je nige / so erstlich gekümmert allein / deshalben die andern abdringen sol / wo sonst nichts vorhanden / Simon. Pistor. Consil. 7. num. 1. multo minus in arresto generali procedet. Quam tamen prioritatem statuit eo ipso Peck. loco antea dicto in hoc, quod ex illo tacitam hypothecam inducit.

51. Arrestum legitimè decretum tollitur per idoneam cautionem de iudicio fisci; per quam cavet arrestatus non solum des Rechtens aufzuwarten / sondern sich selbst auch persönlich / wann es die Notdurfft erfordert / einzustellen / Modest. Pistor. dic. qu. 110. num. 9. quod posterius Justinianus huic cautioni adjecit, constituendo ut reus non tantum promitteret, se in jus venturum, litis contestandæ causa, sed etiam permansurum usque ad terminum litis, ut tempore sententiæ recitandæ in iudicio inveniatur, §. sed bodie, 2. & §. sequen. Instit. de satisfactione. Schifordeg. ad Anton. Fab. lib. 1. tractat. 4. quest. 4. Donell. lib. 23. Comm. cap. 9. Diss. Coler. Gæden, Moller. Hering. & alij à Berlich. citati. dict. conclus. 50.

NUM.



num. 93. cum quibus idem existimat, requiri insuper ad relaxandum arrestum cautionem de solvendo judicato, *Vid. Regul. in processu* c. 24. *vers.* Aber in der Übung.

52. Dum verò & illud hic præsupponimus, debitum ob quod arrestum est impetratum esse illiquidum; cautiones hæc intelliguntur de idoneis, quæ fiunt per pignora vel fidejussores. *Moller. 2. semest. 4. nu. 13. Mynsing. 5. Observ. 35. nu. 7. Gail. de Arrestis. imper. c. 4. Rüdinger sing. Observat. Cent. 1. Observ. 34. nu. 3.* nisi persona arrestata sit honestæ existimationis, tunc cautionem Juratoriam quidem admittunt, *Coler. part. 3. cap. II. num. 102. & alii à Berlich. Conclus. 53. nu. 24.* allegati; modo tamen ejusmodi persona, quæ sub cautione juratoria ex arresto dimitti debet, simul etiam sua bona, quæ in loco domicilii habet, oppignoret.

53. Quod si judex ad idoneam, & pro ratione circumstantiarum cujuscunque generis cautionem arrestum relaxare nolit, debitor habet justam causam, hoc per viam quærelæ ad superiorem deferendi, *Gail.* (ubi ita in Germania observari testatur) *1. Observ. 22. num. fin.* Et tum ad decernendum mandatum à superiore de relaxando arresto non requiritur documentum oblatae cautionis, dum modò arrestatus in libello supplici proponat, se paratum esse, eam in continenti præstare, prout majoribus votis in Camera conclusum refert *Gylmann supplication. Cam. Imper. cum vot. part. 1. tit. 5. qu. 3. num. 13. & seqq. Gail supra d. c. 4.*

54. Ac præterquam, quod hoc casu propter denegatam arresti relaxationem injuriarum possit conveniri judex, *Schneidw. ad §. 1. Instit. de Injur. num. 20.* tenebitur idem ad restitutionem damnorum, quæ à tempore dictæ cautionis sufficientis acciderunt, *Gylman. d. loc. quest. final. num. 23.* ita ut per interitum etiam rerum naturalem non liberetur, *Vid. Donell. ad l. 53. de V. O. Anton. Faber. decad. 16. Error. 3. num. 6. & ad eundem Schiford. lib. 1. tract. 21. qu. 9.*

55. De illiquido hæc diximus debito. Nam hoc si liquidum sit, & ut loquuntur, confessatum, etiam decies millies oblata idonea cautio relaxationem arresti invito creditore non causatur, cum debitor cogatur præcisè solvere & adimplere id, ad  
quod



quod tenetur, per l. 73. d. leg. 1. l. si se non obtulit. 4. §. 3. ff. de re judi-  
cata. Et quia alias condemnatus ad solvendum non satisfaciat  
judicato, si offerat fidejussores vel pignora. Vid. l. 3. C. de fruct.  
& lit. expens.

56. Invito diximus. Etenim volente creditore id fieri posse,  
est extra omnem controversiam, licet judicis requisitio & vo-  
luntas non accesserit, Coler. part. 1. c. 6. num. 56. sive per expressam,  
sive per tacitam id fiat creditoris voluntatem, per ea, quæ habet  
Robertus lib. 4. rerum judic. c. 14. Dissent. quidam per l. invitus, 8. §. 1.  
ff. de procurator.

57. Sanè Judex extra consensum creditoris arrestum pro-  
pria autoritate etiam post rem judicatam, Vid. l. 13. §. 1. ff. de pi-  
gnorib. si solvat, litem suam facit; & quidem in Arresto personæ  
tenetur ad debitum principale, nisi arrestatum denuò sistat, Co-  
ler. part. 1. c. 2. num. 117. nisi creditor debitori arrestato alimenta  
deneget, Coler. d. loc. n. seq. ubi ita usum tribunalium per has pro-  
vincias observare testatur.

58. Exceptionibus arrestum propriè finiri non dicitur, sed  
potius impediri. Idque procedit etiam in appellatione. Illæ  
ita demum in præsentem reiiciuntur, si requirant longiorem pro-  
cessum, per l. fin. C. de compens. l. 2. C. de edic. D. Hadr. toll. Hæc au-  
tem simpliciter. Cum enim non impediatur executio, nisi per  
exceptiones, quarum probatio de præsentem habetur in promptu,  
infertur hinc necessario, appellationem à præcepto executivo  
esse frivolam, eique deferendam non esse. Coler. part. 4. cap. 2.  
num. 30. Dissen. Peck. cap. 34. nu. 1. Vide etiam Quintilianum Man-  
dos. de inhibition. qu. 74.

59. Superest ultimum disputationis nostræ caput, quomo-  
do violatum arrestum puniatur. Et quidem, si id violetur ra-  
tione rei & bona arrestata alienentur, existimo & contemptum  
Judicis puniri, per l. si familia, 9. ff. de jurisd. non autem credito-  
rem ad novum interesse agere posse; cum tale quidpiam nec tum  
prætendi possit, si expressum pignus à debitore alienetur, Vid.  
Anton. Fab. decad. 86. error. 9. & decad. 87. error. 5. & 9. Et eatenus  
quoq; verum est, quod ait Modestin. Pist. d. q. 110. propter solum  
arrestum actoris conditionem non fieri meliorem.



60. Si verò ratione personæ violetur, hoc est, si debitor arrestatus ex arresto discedat, iudicis arbitrio relinquatur, quomodo de novo vel arrestari, vel post arrestationem puniri debeat. *Peck, c. 28. num. 1. & seqq.* Quo pertinet, quod si debitor, qui ex arresto discessit ad requisitionem iudicis in locum arresti redire nolit, tum Iudex etiam ad proscriptionem vel relegationem possit procedere, id quod Doctori non ita pridem cuidam obtigit, cum neglecto arresto, ex Academia huic propinquiore discessit. *Schult. in add. ad process. Petr. Termin.*

*cap. 17. num. 25.*

**FINIS.**



**Ad**





*Ad Politissimum & Doctissimum*

**Dn. Florianum Coffnacium**

LL. Studiosum, de Arresto disputan-  
tem, amicū & sympatriotam  
exoptatissimum.

**J**uris in anfractus, Coffnaci, fortiter intrans,  
Profers ingenij germina pulchra tui.  
Extricans rectum è curvis insensus iniquis,  
Enodas aptè juris utrumq; sinum.  
Condita consilio veterum monumenta virorum  
Excutis, & confers, æquis ubiq; novis.  
Judicio assignas utrò victoria vergat,  
Justitiæ metamponis & arte suam.  
Ingens hoc virtutis opus, nec futilis ardor;  
Sed sapidis Charitum ritè rigatur aquis.  
Est ita: non fallor, placidam sapientia Dia  
Evocat ad requiem te, exiliumq; mali:  
Pergere perge viam hanc: documen sic juris utrumq;  
Te ducet mox per Solis utramq; domum.

Bernhardus Derschovv,  
Reg. Boruss.





